

STACE

ACHILLEIDE (1126 vers)

A1 v.1 Magnanimum Aeacidem formidatamque Tonanti
 2 progeniem et patrio vetitam succedere caelo,
 3 diva, refer. Quamquam acta viri multum inclita cantu
 4 Maeonio sed plura vacant : nos ire per omnem
 5 (sic amor est) herosa velis Scyroque latentem
 6 Dulichia proferre tuba nec in Hectore tracto
 7 sistere, sed tota juvenem deducere Troja.
 8 Tu modo, si veterem digno deplevimus haustu,
 9 da fontes mihi, Phoebe, novos ac fronde secunda
 10 necte comas : neque enim Aonium nemus advena pulso
 11 nec mea nunc primis augescunt tempora vittis.
 12 Scit Dircaeus ager meque inter prisca parentum
 13 nomina cumque suo numerant Amphione Thebae.
 14 At tu, quem longe primum stupet Itala virtus
 15 Graiaque, cui geminae florent vatunumque ducumque
 16 certatim laurus (olim dolet altera vinci),
 17 da veniam ac trepidum patere hoc sudare parumper
 18 pulvere : te longo necdum fidente paratu
 19 molimur magnusque tibi praeludit Achilles.
 20 Solverat Oebalio classem de litore pastor
 21 Dardanus incautas blande populatus Amyclas
 22 plenaque materni referens praesagia somni
 23 culpatum relegerat iter, qua condita ponto
 24 fluctibus invisus jam Nereis imperat Helle,
 25 cum Thetis Idaeos (heu numquam vana parentum
 26 auguria ! expavit vitreo sub gurgite remos.
 27 Nec mora et undosis turba comitante sororum
 28 prosiluit thalamis : fervent coeuntia Phrixi
 29 litora et angustum dominas non explicat aequor.
 30 Illa ubi discusso primum subit aera ponto,
 31 "Me petit haec, mihi classis", ait, "funesta minatur,
 32 agnosco monitus et Protea vera locutum.
 33 Ecce novam Priamo facibus de puppe levatis
 34 fert Bellona nurum : video jam mille carinis
 35 Ionium Aegaeumque premi ; nec sufficit, omnis
 36 quod plaga Graiugenum tumidis conjurat Atridis :
 37 jam pelago terrisque meus quaeretur Achilles.
 38 Et volet ipse sequi. Quid enim cunabula parvo
 39 Pelion et torvi commisimus antra magistri ?
 40 Illic, ni fallor, Lapitharum proelia ludit
 41 improbus et patria jam se metitur in hasta.
 42 O dolor, o seri materno in corde timores !
 43 Non potui infelix, cum primum gurgite nostro
 44 Rhoeteae cecidere trabes, attollere magnum
 45 aequor et incesti praedonis vela profunda
 46 tempestate sequi cunctasque inferre sorores ?
 47 Nunc quoque ,sed tardum, jam plena injuria raptae.
 48 Ibo tamen pelagique deos dextramque secundi,

49 quod superest, complexa Jovis per Tethyos annos
 50 grandaevumque patrem supplex miseranda rogabo
 51 unam hiemem." Dixit magnumque in tempore regem
 52 aspicit. Oceano veniebat ab hospite, mensis
 53 laetus et aequoreo diffusus nectare vultus,
 54 unde hiemes ventique silent ; cantuque quieto
 55 armigeri Tritones eunt scopulosaque cete
 56 Tyrrhenique greges circumque infraque rotantur
 57 rege salutato ; placidis ipse arduus undis
 58 eminet et triplici telo jubet ire jugales ;
 59 illi spumiferos glomerant a pectore cursus,
 60 pone natant delentque pedum vestigia cauda ;
 61 cum Thetis : "O magni genitor rectorque profundi,
 62 aspicias in qualis miserum patefeceris usus
 63 aequor ? Eunt tutis terrarum crimina velis,
 64 ex quo jura freti majestatemque repostam
 65 rupit Iasonia puppis Pagasaea rapina.
 66 En aliud furto scelus et spolia hospita portans
 67 navigat injustae temerarius arbiter Idae,
 68 eheu quos gemitus terris caeloque daturus,
 69 quos mihi ! sic Phrygiae pensamus gaudia palmae,
 70 hi Veneris mores, hoc gratiae munus alumnae.
 71 Has saltem (unum semideos nostrumque reportant
 72 Thesea ?) si quis adhuc undis honor, obrue puppes
 73 aut permitte fretum ! Nulla inclementia : fas sit
 74 pro nato timuisse mihi. Da pellere luctus
 75 nec tibi de tantis placeat me fluctibus unum
 76 litus et Iliaci scopulos habitare sepulcri."
 77 Orabat laniata genas et pectore nudo
 78 caeruleis obstabat equis. Sed rector aquarum
 79 invitat curru dictisque ita mulcet amicis :
 80 "Ne pete Dardanium frustra, Theti, mergere classem ;
 81 fata vetant : ratus ordo deis miscere cruentas
 82 Europamque Asiamque manus, consultaque belli
 83 Juppiter et tristes edixit caedibus annos.
 84 Quem tu illic natum Sigeo in pulvere, quanta
 85 aspicias victrix Phrygiarum funera matrum,
 86 cum tuus Aeacides tepido modo sanguine Teucros
 87 undabit campos, modo crassa exire vetabit
 88 flumina et Hectoreo tardabit funere currus
 89 inpelletque manu nostros, opera inrita, muros !
 90 Pelea jam desiste queri thalamosque minores :
 91 crederis peperisse Jovi ; nec inulta dolebis
 92 cognatisque utere fretis : dabo tollere fluctus,
 93 cum reduces Danaï nocturnaue signa Caphereus
 94 exseret et dirum pariter quaeremus Ulixen."
 95 Dixerat. Illa gravi vultum demissa repulsa,
 96 quae jam excire fretum et ratibus bellare parabat
 97 Iliacis, alios animo commenta paratus,
 98 tristis ad Haemonias detorquet bracchia terras.
 99 Ter conata manu, liquidum ter gressibus aequor
 100 reppulit et niveas feriunt vada Thessala plantas.
 101 Laetantur montes et conubialia pandunt
 102 antra sinus lateque deae Sperchios abundat
 103 obvius et dulci vestigia circuit unda.
 104 Illa nihil gavisa locis, sed coepta fatigat
 105 pectore consilia et sollers pietate magistra
 106 longaevum Chirona petit ; domus ardua montem

107 perforat et longo suspendit Pelion arcu :
108 pars exhausta manu, partem sua ruperat aetas.
109 Signa tamen divumque tori et quem quisque sacrarit
110 accubitu genioque locum monstrantur ; at intra
111 Centauri stabula alta patent, non aequa nefandis
112 fratribus : hic hominum nullos experta cruores
113 spicula nec truncae bellis genialibus orni
114 aut consanguineos fracti crateres in hostes,
115 sed pharetrae insontes et inania terga ferarum.
116 Haec quoque dum viridis ; nam tunc labor unus inermi
117 nosse salutiferas dubiis animantibus herbas,
118 aut monstrare lyra veteres heroas alumno.
119 Et tunc venatu rediturum in limine primo
120 opperiens properatque dapes largoque serenat
121 igne domum ; cum visa procul de litore surgens
122 Nereis ; erumpit silvis (dant gaudia vires)
123 notaque desueto crepuit senis ungula campo.
124 Tunc blandus dextra atque imos demissus in armos
125 pauperibus tectis inducit et admonet antri.
126 Jamdudum tacito lustrat Thetis omnia visu
127 nec perpessa moras : "Ubinam mea pignora, Chiron,
128 dic", ait, "aut cur ulla puer jam tempora ducit
129 te sine ? Non merito trepidus sopor atraque matri
130 signa deum et magnos utinam mentita timores ?
131 Namque modo infensos utero mihi contuor enses,
132 nunc planctu livere manus, modo in ubera saevas
133 ire feras ; saepe ipsa (nefas !) sub inania natum
134 Tartara et ad Stygios iterum fero mergere fontes.
135 Hos abolere metus magici jubet ordine sacri
136 Carpathius vates puerumque sub axe peracto
137 secretis lustrare fretis, ubi litora summa
138 Oceani et genitor tepet inlabentibus astris
139 Pontus. Ibi ignotis horrenda piacula divis
140 donaque. Sed longum cuncta enumerare vetorque :
141 trade magis ! " Sic ficta parens : neque enim ille dedisset,
142 si molles habitus et tegmina foeda fateri
143 ausa seni. Tunc ipse refert : "Duc, optima, quaeso,
144 duc, genetrix, humilique deos infringe precatu.
145 Nam superant tua vota modum placandaque multum
146 invidia est. Non addo metum, sed vera fatebor :
147 nescio quid magnum (nec me patria omina fallunt)
148 vis festina parat tenuesque supervenit annos.
149 Olim et ferre minas avidaeque audire solebat
150 imperia et nostris procul haut discedere ab antris ;
151 nunc illum non Ossa capit, non Pelion ingens
152 Pharsaliaeve nives. Ipsi mihi saepe queruntur
153 Centauri raptasque domos abstractaque coram
154 armenta et semet campis fluviisque fugari,
155 insidiasque et bella parant tumidaeque minantur.
156 Olim equidem, Argoos pinus cum Thessala reges
157 hac veheret, juvenem Alciden et Thesea vidi...
158 sed taceo." Figit gelidus Nereida pallor :
159 ille aderat, multo sudore et pulvere major,
160 et tamen arma inter festinatosque labores
161 dulcis adhuc visu : niveo natat ignis in ore
162 purpureus fulvoque nitet coma gratior auro.
163 Necdum prima nova lanugine vertitur aetas,
164 tranquillaeque faces oculis et plurima vultu

165 mater inest : qualis Lycia venator Apollo
166 cum redit et saevis permutat plectra pharetris.
167 Forte et laetus adest (o quantum gaudia formae
168 adiciunt !) : fetam Pholoes sub rupe leaenam
169 perculerat ferro vacuisque reliquerat antris
170 ipsam, sed catulos adportat et incitat unguis.
171 Quos tamen, ut fido genetrix in limine visa est,
172 abicit exceptamque avidis circumligat ulnis,
173 jam gravis amplexu jamque aequus vertice matri.
174 Insequitur magno jam tunc conexus amore
175 Patroclus tantisque extenditur aemulus actis,
176 par studiis aevique modis, sed robore longe,
177 et tamen aequali visurus Pergama fato.
178 Protinus ille subit rapido quae proxima saltu
179 flumina fumantisque genas crinemque novatur
180 fontibus : Eurotae qualis vada Castor anhelio
181 intrat equo fessumque sui jubar excitat astri.
182 Miratur comitque senex, nunc pectora mulcens
183 nunc fortis umeros : angunt sua gaudia matrem.
184 Tunc libare dapes Baccheaque munera Chiron
185 orat et attonitae varia oblectamina nectens
186 elicit extremo chelyn et solantia curas
187 fila movet leviterque expertas pollice chordas
188 dat puero. Canit ille libens inmania laudum
189 semina : quot tumidae superarit jussa novercae
190 Amphitryoniades, crudum quo Bebryca caestu
191 obruerit Pollux, quanto circumdata nexu
192 ruperit Aegides Minoia bracchia tauri,
193 maternos in fine toros superisque gravatum
194 Pelion : hic victo risit Thetis anxia vultu.
195 Nox trahit in somnos ; saxo collabatur ingens
196 Centaurus blandusque umeris se innectit Achilles,
197 quamquam ibi fida parens, adsuetaque pectora mavult.
198 At Thetis undisonis per noctem in rupibus astans,
199 quae nato secreta velit, quibus abdere terris
200 destinet, huc illuc divisa mente volutat.
201 Proxima, sed studiis multum Mavortia, Thrace ;
202 nec macetum gens dura placet laudumque daturi
203 Cecropidae stimulos ; nimium opportuna carinis
204 Sestos Abydenique sinus : placet ire per artas
205 Cycladas ; hic spretae Myconosque humilisque Seriphos
206 et Lemnos non aequa viris atque hospita Delos
207 gentibus. Inbelli nuper Lycomedis ab aula
208 virgineos coetus et litora persona ludo
209 audierat, duros laxantem Aegaeona nexus
210 missa sequi centumque dei numerare catenas.
211 Haec placet, haec timidae tellus tutissima matri.
212 Qualis vicino volucris jam sedula partu
213 jamque timens, qua fronde domum suspendat inanem,
214 providet hic ventos, hic anxia cogitat angues,
215 hic homines : tandem dubiae placet umbra, novisque
216 vix stetit in ramis et protinus arbor amatur.
217 Altera consilio superest tristemque fatigat
218 cura deam, natum ipsa sinu complexa per undas
219 an magno Tritone ferat, ventosne volucres
220 advocet an pelago solitam Thaumantida pasci.
221 Elicit inde fretis et murice frenat acuto
222 delphinas bijugos, quos illi maxima Tethys

223 gurgite Atlanteo pelagi sub valle sonora
 224 nutrierat ; nullis vada per Neptunia glaucae
 225 tantus honos formae nandique potentia nec plus
 226 pectoris humani : jubet hos subsistere pleno
 227 litore, ne nudae noceant contagia terrae.
 228 Ipsa dehinc toto resolutum pectore Achillen,
 229 qui pueris sopor, Haemonii de rupibus antri
 230 ad placidas deportat aquas et jussa tacere
 231 litora : monstrat iter totoque effulgurat orbe
 232 Cynthia. Prosequitur divam celeresque recursus
 233 securus pelagi Chiron rogat udaqque celat
 234 lumina et abreptos subito jamjamque latentis
 235 erecto prospectat equo, qua cana parumper
 236 spumant signa fugae et liquido perit orbita ponto.
 237 Illum non alias rediturum ad Thessala Tempe
 238 jam tristis Pholoe, jam nubilus ingemit Othrys
 239 et tenuior Sperchios aquis speluncaque docti
 240 muta senis ; quaerunt puerilia carmina Fauni
 241 et sperata diu plorant conubia Nymphae.
 242 Jam premit astra dies humilique ex aequore Titan
 243 rorantes evolvit equos et ab aethere magno
 244 sublatum curru pelagus cadit, at vada mater
 245 Scyria jamdudum fluctus emensa tenebat,
 246 exierantque jugo fessi delphines erili,
 247 cum pueri tremefacta quies oculique patentis
 248 infusum sensere diem. Stupet aere primo :
 249 quae loca, qui fluctus, ubi Pelion ? Omnia versa
 250 atque ignota videt dubitatque agnoscere matrem.
 251 Occupat illa manu blandique adfata paventem :
 252 "Si mihi, care puer, thalamos sors aequa tulisset,
 253 quos dabat, aetheriis ego te complexa tenerem
 254 sidus grande plagis, magnique puerpera caeli
 255 nil humiles Parcas terrenaque fata vererer.
 256 Nunc impar tibi, nate, genus, praeclusaque leti
 257 tantum a matre via est ; quin et metuenda propinquant
 258 tempora et extremis admota pericula metis.
 259 Cedamus, paulumque animos submitte viriles
 260 atque habitus dignare meos. Si Lydia dura
 261 pensa manu mollesque tulit Tirynthius hastas,
 262 si decet aurata Bacchum vestigia palla
 263 verrere, virgineos si Juppiter induit artus,
 264 nec magnum ambigui fregerunt Caenea sexus :
 265 hac sine, quaeso, minas nubemque exire malignam.
 266 Mox iterum campos, iterum Centaurica reddam
 267 lustra tibi : per ego hoc decus et ventura juventae
 268 gaudia, si terras humilemque experta maritum
 269 te propter, si progenitum Stygos amne severo
 270 armavi (totumque utinam !), cape tuta parumper
 271 tegmina nil nocitura animo. Cur ora reducis
 272 quidve parant oculi ? Pudet hoc mitescere cultu ?
 273 Per te, care puer, cognata per aequora juro,
 274 nesciet hoc Chiron." Sic horrida pectora tractat
 275 nequiquam mulcens ; obstat genitorque roganti
 276 nutritorque ingens et cruda exordia magnae
 277 indolis. Effrenae tumidum velut igne juventae
 278 si quis equum primis submittere temptet habenis :
 279 ille diu campis fluviisque et honore superbo
 280 gavisus non colla jugo, non aspera praebet

281 ora lupis dominique fremit captivus inire
 282 imperia atque alios miratur discere cursus.
 283 Quis deus attonitae fraudes astumque parenti
 284 contulit ? Indocilem quae mens detraxit Achillem ?
 285 Palladi litoreae celebrabat Scyros honorum
 286 forte diem, placidoque satae Lycomedae sorores
 287 luce sacra patriis, quae rara licentia, muris
 288 exierant dare veris opes divaeque severas
 289 fronde ligare comas et spargere floribus hastam.
 290 Omnibus eximium formae decus, omnibus idem
 291 cultus et expleto teneri jam fine pudoris
 292 virginitas matura toris annique tumentes.
 293 Sed quantum virides pelagi Venus addita Nymphas
 294 obruit, aut umeris quantum Diana relinquit
 295 Naidas, effulget tantum regina decori
 296 Deidamia chori pulchrisque sororibus obstat.
 297 Illius et roseo flammatur purpura vultu
 298 et gemmis lux major inest et blandius aurum :
 299 atque ipsi par forma deaest, si pectoris angues
 300 ponat et exempta pacetur casside vultus.
 301 Hanc ubi ducentem longe socia agmina vidit,
 302 trux puer et nullo temeratus pectora motu
 303 deriguit totisque novum bibit ossibus ignem.
 304 Nec latet haustus amor, sed fax vibrata medullis
 305 in vultus atque ora redit lucemque genarum
 306 tinguit et impulsam tenui sudore pererrat.
 307 Lactea Massagetae veluti cum pocula fuscant
 308 sanguine puniceo vel ebur corrumpitur ostro,
 309 sic variis manifesta notis palletque rubetque
 310 flamma repens. Eat atque ultro ferus hospita sacra
 311 disiciat turbae securus et inmemor aevi,
 312 ni pudor et junctae teneat reverentia matris.
 313 Ut pater armenti quondam ductorque futurus,
 314 cui nondum toto peraguntur cornua gyro,
 315 cum sociam pastus niveo candore juvencam
 316 aspicit, ardescunt animi primusque per ora
 317 spumat amor, spectant hilares obstantque magistri.
 318 Occupat arrepto jam conscia tempore mater :
 319 "Hasne inter simulare choros et bracchia ludo
 320 nectere, nate, grave est ? Gelida quid tale sub Ossa
 321 Peliacisque jugis ? O si mihi jungere curas
 322 atque alium portare sinu contingat Achillem ! "
 323 Mulcetur laetumque rubet visusque protervos
 324 obliquat vestesque manu levioere repellit.
 325 Aspicit ambiguum genetrice cogique volentem
 326 injecitque sinus ; tum colla rigentia mollit
 327 submittitque graves umeros et fortia laxat
 328 bracchia et inpexos certo domat ordine crines
 329 ac sua dilecta cervice monilia transfert ;
 330 et picturato cohibens vestigia limbo
 331 incessum motumque docet fandique pudorem.
 332 Qualiter artificii victurae pollice cerae
 333 accipiunt formas ignemque manumque sequuntur,
 334 talis erat divae natum mutantis imago.
 335 Nec luctata diu ; superest nam plurimus illi
 336 invita virtute decor, fallitque tuentes
 337 ambiguus tenuique latens discrimine sexus.
 338 Procedunt, iterumque monens iterumque fatigans

339 blanda Thetis : "Sic ergo gradum, sic ora manusque,
 340 nate, feres comitesque modis imitabere fictis,
 341 ne te suspectum molli non misceat aulae
 342 rector et incepti pereant mendacia furti."
 343 Dicit et admoto non cessat comere tactu.
 344 Sic ubi virgineis Hecate lassata Therapnis
 345 ad patrem fratremque redit, comes haeret eunti
 346 mater et ipsa umeros exsertaque bracchia velat ;
 347 ipsa arcum pharetrasque locat vestemque latentem
 348 deducit sparsosque tumet componere crines.
 349 Protinus adgreditur regem atque ibi testibus aris
 350 "Hanc tibi", ait, "nostri germanam, rector, Achillis
 351 (nonne vides ut torva genas aequandaque fratri ?)
 352 tradimus. Arma umeris arcumque animosa petebat
 353 ferre et Amazonio conubia pellere ritu.
 354 Sed mihi curarum satis est pro stirpe virili :
 355 haec calathos et sacra ferat, tu frange regendo
 356 indocilem sexuque tene, dum nubilis aetas
 357 solvendusque pudor ; neve exercere protervas
 358 gymnadas aut lustris nemorum concede vagari.
 359 Intus ale et similes inter seclude puellas ;
 360 litore praecipue portuque arcere memento.
 361 Vidisti modo vela Phrygum : jammutua jura
 362 fallere transmissae pelago didicere carinae."
 363 Accedit dictis pater ingenioque parentis
 364 occultum Aeaciden (quis divum fraudibus obstet ?)
 365 accipit ; ultro etiam veneratur supplice dextra
 366 et grates electus agit : nec turba piarum
 367 Scyriadum cessat nimio defigere visu
 368 virginis ora novae, quantum cervice comisque
 369 emineat quantumque umeros ac pectora fundat.
 370 Dehinc sociare choros castisque accedere sacris
 371 hortantur ceduntque loco et contingere gaudent.
 372 Qualiter Idaliae volucres, ubi mollia frangunt
 373 nubila, jam longum caeloque domoque gregatae,
 374 si junxit pinnas diversoque hospita tractu
 375 venit avis, cunctae primum mirantur et horrent :
 376 mox propius propiusque volant, atque aere in ipso
 377 paulatim fecere suam plausuque secundo
 378 circumeunt hilares et ad alta cubilia ducunt.
 379 Digreditur multum cunctata in limine mater,
 380 dum repetit monitus arcanaque murmura figit
 381 auribus et tacito dat verba novissima vultu.
 382 Tunc excepta freto longe cervice reflexa
 383 abnatat et blandis adfatur litora votis :
 384 "Cara mihi tellus, magnae cui pignora curae
 385 depositumque ingens timido commisimus astu,
 386 sis felix taceasque, precor, quo more tacebat
 387 Creta Rheae. Te longus honos aeternaque cingent
 388 templa nec instabili fama superabere Delo.
 389 Et ventis et sacra fretis interque vadosas
 390 Cycladas, Aegaeae frangunt ubi saxa procellae,
 391 Nereidum tranquilla domus jurandaque nautis
 392 insula, ne solum Danaas admitte carinas,
 393 ne, precor ! "Hic thiasi tantum et nihil utile bellis",
 394 hoc famam narrare doce, dumque arma parantur
 395 Dorica et alternum Mavors interfurit orbem,
 396 (cedo equidem) sit virgo pii Lycomedis Achilles."

397 Interea meritos ultrix Europa dolores
 398 dulcibus armorum furiis et supplice regum
 399 conquestu flammata movet ; quippe ambit Atrides
 400 ille magis, cui nupta domi, facinusque relatu
 401 asperat Iliacum : captam sine Marte, sine armis
 402 progeniem caeli Spartaetaeque potentis alumnam,
 403 jura fidem Superos una calcata rapina.
 404 Hoc foedus Phrygium, haec geminae commercia terrae ?
 405 Quid maneat populos, ubi tanta injuria primos
 406 degrassata duces ? Coeunt gens omnis et aetas :
 407 nec tantum exciti, bimari quos Isthmia vallo
 408 claustra nec undisonae quos circuit umbo Maleae,
 409 sed procul admotas Phryxi qua semita jungi
 410 Europamque Asiamque vetat, quasque ordine gentes
 411 litore Abydeno maris alligat unda superni.
 412 Fervet amor belli concussasque erigit urbes.
 413 Aera domat Temese, quatitur navalibus ora
 414 Eubois, innumera resonant incude Mycenae,
 415 Pisa novat currus, Nemeae dat terga ferarum,
 416 Cirrha sagittiferas certat stipare pharetras,
 417 Lerna gravis clipeos caesis vestire juvenicis.
 418 Dat bello pedites Aetolus et asper Acarnan,
 419 Argos agit turmas, vacuantur pascua ditis
 420 Arcadiae, frenat celeres Epiros alumnos ;
 421 Phocis et Aoniae jaculis rarescitis umbrae,
 422 murorum tormenta Pylos Messenaque tendunt.
 423 Nulla immunis humus ; velluntur postibus altis
 424 arma olim dimissa patrum, flammisque liquescunt
 425 dona deum : ereptum superis Mars efferat aurum.
 426 Nusquam umbrae veteres : minor Othrys et ardua sidunt
 427 Taygeta, exuti viderunt aera montes.
 428 Jam natat omne nemus : caeduntur robora classi,
 429 silva minor remis. Ferrum lassatur in usus
 430 innumeros, quod rostra liget, quod muniat arma,
 431 belligeros quod frenet equos, quod mille catenis
 432 squalentes nectat tunicas, quod sanguine fumet
 433 vulneraque alta bibat, quod conspirante veneno
 434 impellat mortes ; tenuant umentia saxa
 435 attritu et pigris addunt mucronibus iras.
 436 Nec modus aut arcus lentare aut fundere glandes
 437 aut torrere sudas galeasque attollere conis.
 438 Hos inter motus pigram gemit una quietem
 439 Thessalia et geminis incusat fata querellis,
 440 quod senior Peleus nec adhuc maturus Achilles.
 441 Jam Pelopis terras Graiumque exhausterat orbem
 442 praecipitans in transtra viros insanus equosque
 443 Bellipotens. Fervent portus et operata carinis
 444 stagna suasque hiemes classis promota suosque
 445 attollit fluctus ; ipsum jam puppibus aequor
 446 deficit et totos consumunt carbasa ventos.
 447 Prima ratis Danaas Hecateia congregat Aulis,
 448 rupibus expositis longique crepidine dorsi
 449 Euboicum scandens Aulis mare, litora multum
 450 montivagae dilecta deae, juxtaque Caphereus
 451 latratum pelago tollens caput. Ille Pelasgas
 452 ut vidit tranare rates, ter monte ter undis
 453 intonuit saevaeque dedit praesagia noctis.
 454 Coetus ibi armorum Trojae fatalis, ibi ingens

455 juratur bellum, donec sol annuus omnes
 456 conficeret metas. Tunc primum Graecia vires
 457 contemplata suas ; tunc sparsa ac dissona moles
 458 in corpus vultumque coit et rege sub uno
 459 disposita est. Sic curva feras indago latentes
 460 claudit et admotis paulatim cassibus artat.
 461 Illae ignem sonitumque pavent diffusaque linquunt
 462 avia miranturque suum decrescere montem,
 463 donec in angustam ceciderunt undique vallem ;
 464 inque vicem stupuere greges socioque timore
 465 mansuescunt : simul hirtus aper, simul ursa lupusque
 466 cogitur et captos contempsit cerva leones.
 467 Sed quamquam et gemini pariter sua bella capessant
 468 Atridae famamque avida virtute paternam
 469 Tydides Sthenelusque premat, nec cogitet annos
 470 Antilochus septemque Ajax umbone coruscet
 471 armenti reges atque aequum moenibus orbem,
 472 consiliisque armisque vigil contendat Ulixes :
 473 omnis in absentem belli manus ardet Achillen,
 474 nomen Achillis amat et in Hectora solus Achilles
 475 poscitur, illum unum Teucris Priamoque loquuntur
 476 fatalem. Quis enim Haemoniis sub vallibus alter
 477 creverit effossa reptans nive ? Cujus adortus
 478 cruda rudimenta et teneros formaverit annos
 479 Centaurus ? Patrii propior cui linea caeli,
 480 quemve alium Stygios tulerit secreta per amnes
 481 Nereis et pulchros ferro praestruxerit artus ?
 482 Haec Graiae castris iterant traduntque cohortes.
 483 Cedit turba ducum vincique haud maesta fatetur.
 484 Sic cum pallentes Phlegraea in castra coirent
 485 caelicolae jamque Odrysiam Gradivus in hastam
 486 surgeret et Libycos Tritonia tolleret angues
 487 ingentemque manu curvaret Delius arcum,
 488 stabat anhela metu solum Natura Tonantem
 489 respiciens : quando ille hiemes tonitrusque vocaret
 490 nubibus, igniferam quot fulmina posceret Aetnen.
 491 Atque ibi dum mixta vallati plebe suorum
 492 et maris et belli consultant tempora reges,
 493 increpitans magno vatem Calchanta tumultu
 494 Protesilaus ait (namque huic bellare cupido
 495 praecipua et primae jam tunc data gloria mortis) :
 496 "O nimium Phoebi tripodumque oblite tuorum,
 497 Thestoride, quando ora deo possessa movebis
 498 justius aut quaenam Parcarum occulta recludes ?
 499 Cernis ut ignotum cuncti stupeantque fremantque
 500 Aeaciden ? Sordent volgo Calydonius heros
 501 et magno genitus Telamone Ajaxque secundus,
 502 nos quoque ; sed Mavors et Troja arrepta probabunt.
 503 Illum neglectis (pudet heu !) ductoribus omnes
 504 belligerum ceu numen amat. Dic ocus aut cur
 505 certa comis et multus honos ? Quibus abditus oris
 506 quave jubes tellure peti ? Nam fama nec antris
 507 Chironis patria nec degere Peleos aula.
 508 Heia, inrumpe deos et fata latentia vexe
 509 laurigerosque ignes, si quando, avidissimus hauri !
 510 Arma horrenda tibi saevosque remisimus enses,
 511 numquam has inbelles galea violabere vittas,
 512 sed felix numeroque ducum praestantior omni,

513 si magnum Danais pro te dependis Achillen."
514 Jamdudum trepido circumfert lumina motu
515 intrantemque deum primo pallore fatetur
516 Thestorides ; mox igne genas et sanguine torquens
517 nec socios nec castra videt, sed caecus et absens
518 nunc Superum magnos deprendit in aethere coetus,
519 nunc sagas adfatur aves, nunc dura sororum
520 licia, turiferas modo consulit anxius aras
521 flammaramque apicem rapit et caligine sacra
522 pascitur. Exsiliunt crines rigidisque laborat
523 vitta comis, nec colla loco nec in ordine gressus.
524 Tandem fessa tremens longis mugitibus ora
525 solvit et oppositum vox eluctata furorem est :
526 "Quo rapis ingentem magni Chironis alumnum
527 femineis, Nerei, dolis ? Huc mitte : quid aufers ?
528 Non patiar : meus iste, meus. Tu diva profundi,
529 et me Phoebus agit. Latebris quibus abdere temptas
530 eversorem Asiae ? Video per Cycladas altas
531 attonitam et turpi quaerentem litora furto.
532 Occidimus : placuit Lycomedis conscia tellus.
533 O scelus ! en fluxae veniunt in pectora vestes.
534 Scinde, puer, scinde et timidae ne cede parenti.
535 Ei mihi raptus abit ! Quaenam haec procul improba virgo ? "
536 Hic nutante gradu stetit amissisque furoris
537 viribus ante ipsas tremefactus conruit aras.
538 Tunc haerentem Ithacum Calydonius occupat heros :
539 "Nos vocat iste labor : neque enim comes ire recusem,
540 si tua cura trahat. Licet ille sonantibus antris
541 Tethyos aversae gremioque prematur aquosi
542 Nereos, invenies. Tu tantum providus astu
543 tende animum vigilem fecundumque erige pectus :
544 non mihi quis vatum dubiis in casibus ausit
545 fata videre prior." Subicit gavisus Ulixes :
546 "Sic deus omnipotens firmet, sic adnuat illa
547 virgo paterna tibi ! Sed me spes lubrica tardat :
548 grande quidem armatum castris inducere Achillen ;
549 sed si fata negent, quam foedum ac triste reverti !
550 Vota tamen Danaum non intemptata relinquam.
551 Jamque adeo aut aderit mecum Peleius heros,
552 aut verum penitus latet et sine Apolline Calchas."
553 Conclamant Danai stimulatque Agamemno volentes.
554 Laxantur coetus resolutaque murmure laeto
555 agmina discedunt, quales jam nocte propinqua
556 e pastu referuntur aves, vel in antra reverti
557 melle novo gravidas mitis videt Hybla catervas.
558 Nec mora, jam dextras Ithacesia carbasus auras
559 poscit, et in remis hilaris sedere juvenus.
560 At procul occultum falsi sub imagine sexus
561 Aeacidem furto jam noverat una latenti
562 Deidamia virum ; sed opertae conscia culpae
563 cuncta pavet tacitasque putat sentire sorores.
564 Namque ut virgineo stetit in grege durus Achilles
565 exsolvitque rudem genetrix digressa pudorem,
566 protinus elegit comitem, quamquam omnis in illum
567 turba coit, blandaeque novas nil tale timenti
568 admovet insidias : illam sequiturque premitque
569 improbus, illam oculis iterumque iterumque resumit.
570 Nunc nimius lateri non evitantis inhaeret,

571 nunc levibus sertis, lapsis nunc sponte canistris,
572 nunc thyrso parcente ferit, modo dulcia notae
573 fila lyrae tenuesque modos et carmina monstrat
574 Chironis ducitque manum digitosque sonanti
575 infringit citharae, nunc occupat ora canentis
576 et ligat amplexus et mille per oscula laudat.
577 Illa libens discit, quo vertice Pelion et quis
578 Aeacides, puerique auditum nomen et actus
579 adsidue stupet et praesentem cantat Achillen.
580 Ipsa quoque et validos proferre modestius artus
581 et tenuare rudes attrito pollice lanas
582 demonstrat reficitque colos et perdita dura
583 pensa manu ; vocisque sonum pondusque tenentis,
584 quodque fugit comites, nimio quod lumine sese
585 figat et in verbis intempestivus anhelet,
586 miratur ; jam jamque dolos aperire parantem
587 virginea levitate fugit prohibetque fateri.
588 Sic sub matre Rhea juvenis regnator Olympi
589 oscula securae dabat insidiosa sorori
590 frater adhuc, medii donec reverentia cessit
591 sanguinis et versos germana expavit amores.
592 [Tandem detecti timidae Nereidos astus.]
593 Lucus Agenorei sublimis ad orgia Bacchi
594 stabat et admissum caelo nemus ; hujus in umbra
595 alternam renovare piaae trieterida matres
596 consuerant scissumque pecus terraque revulsas
597 ferre trabes gratosque deo praestare furores.
598 Lex procul ire mares ; iterat praecepta verendus
599 ductor, inaccessumque viris edicitur antrum.
600 Nec satis est : stat fine dato metuenda sacerdos
601 exploratque aditus, ne quis temerator oberret
602 agmine femineo : tacitus sibi risit Achilles.
603 Illum virgineae ducentem signa catervae
604 magnaue difficili solventem bracchia motu
605 (et sexus pariter decet et mendacia matris)
606 mirantur comites. Nec jam pulcherrima turbae
607 Deidamia suae tantumque admota superbo
608 vincitur Aeacidae, quantum premit ipsa sorores.
609 Ut vero e tereti demisit nebrida collo
610 errantesque sinus hedera collegit et alte
611 cinxit purpureis flaventia tempora vittis
612 vibravitque gravi redimitum missile dextra,
613 attonito stat turba metu sacrisque relictis
614 illum ambire libet pronosque attollere vultus.
615 Talis, ubi ad Thebas vultumque animumque remisit
616 Euhius et patrio satiavit pectora luxu,
617 sarta comis mitramque levat thyrsusque virentem
618 armat et hostiles invisit fortior Indos.
619 Scandebat roseo medii fastigia caeli
620 Luna jugo totis ubi somnus inertior alis
621 defluit in terras mutumque amplectitur orbem.
622 Consedere chori paulumque exercita pulsu
623 aera tacent, tenero cum solus ab agmine Achilles
624 haec secum : "Quonam timidae commenta parentis
625 usque ferēs ? Primumque imbelli carcere perdes
626 florem animi ? Non tela licet Mavortia dextra,
627 non trepidas agitare ferās. Ubi campus et amnes
628 Haemonii ? Quaerisne meos, Sperchie, natatus

629 promissasque comas ? An desertoris alumni
630 nullus honos, Stygiasque procul jam raptus ad umbras
631 dicor, et orbatus plangit mea funera Chiron ?
632 Tu nunc tela manu, nostros tu dirigis arcus
633 nutritosque mihi scandis, Patrocle, jugales ;
634 ast ego pampineis diffundere bracchia thyrsis
635 et tenuare colus (pudet haec taedetque fateri)
636 jam scio. Quin etiam dilectae virginis ignem
637 aequaeuamque facem captus noctesque diesque
638 dissimulas. Quonam usque premes urentia pectus
639 vulnera ? Teque marem (pudet heu !) nec amore probabis ? "
640 Sic ait ; et densa noctis gavisus in umbra
641 tempestiva suis torpere silentia furtis
642 vi potitur votis et toto pectore veros
643 admovet amplexus ; vidit chorus omnis ab alto
644 astrorum et tenerae rubuerunt cornua Lunae.
645 Illa quidem clamore nemus montemque replevit ;
646 sed Bacchi comites, discussa nube soporis,
647 signa choris indicta putant ; fragor undique notus
648 tollitur, et thyrsos iterum vibrabat Achilles,
649 ante tamen dubiam verbis solatus amicis :
650 "Ille ego (quid trepidas ?) genitum quem caerulea mater
651 paene Jovi silvis nivibusque inmisit alendum
652 Thessalicis. Nec ego hos cultus aut foeda subissem
653 tegmina, ni primo te visa in litore : cessi
654 te propter, tibi pensa manu, tibi mollia gesto
655 tympana. Quid defles magno nurus addita ponto ?
656 Quid gemis ingentes caelo paritura nepotes ?
657 (Sed pater...) Ante igni ferroque excisa jacebit
658 Scyros et in tumidas ibunt haec versa procellas
659 moenia, quam saevo mea tu conubia pendas
660 funere : non adeo parebimus omnia matri."
661 [Vade sed ereptum celes taceasque pudorem.]
662 Obstipuit tantis regina exterrita monstris,
663 quamquam olim suspecta fides, et comminus ipsum
664 horruit et facies multum mutata fatentis.
665 Quid faciat ? Casusne suos ferat ipsa parenti
666 seque simul juvenemque premat, fortassis acerbas
667 hausurum poenas ? Et adhuc in corde manebat
668 ille diu deceptus amor : silet aegra premitque
669 jam commune nefas ; unam placet addere furtis
670 altricem sociam, precibus quae victa duorum
671 adnuit. Illa astu tacito raptumque pudorem
672 surgentemque uterum atque aegros in pondere menses
673 occuluit, plenis donec stata tempora metis
674 attulit et partus index Lucina resolvit.
675 Jamque per Aegaeos ibat Laertia flexus
676 puppis, et innumerae mutabant Cyclades aerae ;
677 jam Paros Olearosque latent ; jam raditur alta
678 Lemnos et a tergo decrescit Bacchica Naxos,
679 ante oculos crescente Samo ; jam Delos opacat
680 aequor : ibi e celsa libant carchesia puppi
681 responsique fidem et verum Calchanta precantur.
682 Audiit Arquitenens Zephyrumque e vertice Cynthi
683 inpulit et dubiis pleno dedit omina velo.
684 It pelago segura ratis : quippe alta Tonantis
685 jussa Thetin certas fatorum vertere leges
686 arcebant aegram lacrimis ac multa gementem,

687 quod non erueret pontum ventisque fretisque
688 omnibus invisum jam tunc sequeretur Ulixen.
689 Frangebat radios humili jam pronus Olympo
690 Phoebus et Oceani penetrabile litus anhelis
691 promittebat equis, cum se scopulosa levavit
692 Scyros ; in hanc totos emisit puppe rudentes
693 dux Laertiades sociisque resumere pontum
694 imperat et remis Zephyros supplere cadentes.
695 Accedunt juxta, et magis indubitata magisque
696 Scyros erat placidique super Tritonia custos
697 litoris. Egressi numen venerantur amicae
698 Aetolusque Ithacusque deae. Tunc providus heros,
699 hospita ne subito terrerent moenia coetu,
700 puppe jubet remanere suos ; ipse ardua fido
701 cum Diomede petit. Sed jam praevenerat arcis
702 litoreae servator Abas ignotaque regi
703 ediderat, sed Graia tamen, succedere terris
704 carbasa. Procedunt, gemini ceu foedere juncto
705 hiberna sub nocte lupi : licet et sua pulset
706 natorumque fames, penitus rabiemque minasque
707 dissimulant humilesque meant, ne nuntiet hostes
708 cura canum et trepidos moneat vigilare magistros.
709 Sic segnes heroes eunt campumque patentem,
710 qui medius portus celsamque interjacet urbem,
711 alterno sermone terunt ; prior occupat acer
712 Tydides : "Qua nunc verum ratione paramus
713 scrutari ? Namque ambiguo sub pectore pridem
714 verso quid inbelles thyrsos mercatus et aera
715 urbibus in mediis Baccheaque terga mitrasque
716 huc tuleris varioque aspersas nebridas auro ?
717 Hisne gravem Priamo Phrygibusque armabis Achillem ? "
718 Illi subridens Ithacus paulum ore remisso :
719 "Haec tibi, virginea modo si Lycomedis in aula est
720 fraude latens, ultro confessum in proelia ducent
721 Peliden ; tu cuncta citus de puppe memento
722 ferre, ubi tempus erit, clipeumque his jungere donis,
723 qui pulcher signis auroque asperrimus ; hasta
724 nec sat erit : tecum lituo bonus adsit Agyrtes
725 occultamque tubam tacitos adportet in usus."
726 Dixerat, atque ipso portarum in limine regem
727 cernit et ostensa pacem praefatus oliva :
728 "Magna, reor, pridemque tuas pervenit ad aures
729 fama trucis belli, regum placidissime, quod nunc
730 Europamque Asiamque quatit. Si nomina forte
731 huc perlata ducum, fidit quibus ultor Atrides,
732 hic tibi, quem tanta meliorem stirpe creavit
733 magnanimus Tydeus, Ithaces ego ductor Ulixes.
734 Causa viae (metuam quid enim tibi cuncta fateri,
735 cum Graius notaque fide celeberrimus ?) imus
736 explorare aditus invisaeque litora Trojae,
737 quidve parent." Medio sermone intercipit ille :
738 "Adnuerit Fortuna, precor, dextrique secudent
739 ista dei ! Nunc hospitio mea tecta piumque
740 inlustrate larem." Simul intra limina ducit.
741 Nec mora, jam mensas famularis turba torosque
742 instruit. Interea visu perlustrat Ulixes
743 scrutaturque domum, si qua vestigia magnae
744 virginis aut dubia facies suspecta figura :

745 porticibusque vagis errat totosque penates,
 746 ceu miretur, adit : velut ille cubilia praedae
 747 indubitata tenens muto legit arva Molosso
 748 venator, videat donec sub frondibus hostem
 749 porrectum somno positosque in caespite dentes.
 750 Rumor in arcana jamdudum perstrepit aula,
 751 virginibus qua fida domus, venisse Pelasgum
 752 ductores Graiamque ratem sociosque receptos.
 753 Jure pavent aliae, sed vix nova gaudia celat
 754 Pelides avidusque novos heroas et arma
 755 vel talis vidisse cupit. Jamque atria fervent
 756 regali strepitu et picto discumbitur auro,
 757 cum pater ire jubet natas comitesque pudicas
 758 natarum. Subeunt, quales Maeotide ripa,
 759 cum Scythicas rapuere domos et capta Getarum
 760 moenia, sepositis epulantur Amazones armis.
 761 Tum vero intentus vultus ac pectora Ulixes
 762 perlibrat visu, sed nox inlataque fallunt
 763 lumina et extemplo latuit mensura jacentum.
 764 At tamen erectumque genas oculisque vagantem
 765 nullaque virginei servantem signa pudoris
 766 defigit comitique obliquo lumine monstrat.
 767 Quid nisi praecipitem blando complexa moneret
 768 Deidamia sinu nudataque pectora semper
 769 exsertasque manus umerosque in veste teneret
 770 et prodire toris et poscere vina vetaret
 771 saepius et fronti crinale reponeret aurum ?
 772 [Argolicis ducibus jam tunc patuisset Achilles.]
 773 Ut placata fames epulis bis terque repostis,
 774 rex prior adloquitur paterisque hortatur Achivos :
 775 "Invideo vestris, fateor, decora inclita gentis
 776 Argolicae, coeptis ; utinam et mihi fortior aetas,
 777 quaeque fuit, Dolopas cum Scyria litora adortos
 778 perdomui fregique vadis, quae signa triumphi
 779 vidistis celsa murorum in fronte, carinas !
 780 Saltem si suboles, aptum quam mittere bello
 781 nunc ipsi viresque meas et cara videtis
 782 pignora : quando novos dabit haec mihi turba nepotes ? "
 783 Dixerat, et sollers arrepto tempore Ulixes :
 784 "Haut spernenda cupis ; quis enim non visere gentes
 785 innumeras variosque duces atque agmina regum
 786 ardeat ? Omne simul roburque decusque potentis
 787 Europae meritos ultro juravit in enses.
 788 Rura urbesque vacant, montes spoliavimus altos,
 789 omne fretum longa velorum obtexitur umbra ;
 790 tradunt arma patres, rapit inrevocata juvenus.
 791 Non alias umquam tantae data copia famae
 792 fortibus aut campo majore exercita virtus."
 793 Aspicit intentum vigilique haec aure trahentem,
 794 cum paveant aliae demissaque lumina flectant,
 795 atque iterat : "Quisquis proavis et gente superba,
 796 quisquis equo jaculoque potens, qui praevalet arcu,
 797 omnis honos illic, illic ingentia certant
 798 nomina : vix timidae matres aut agmina cessant
 799 virginea ; o multum steriles damnatus in annos
 800 invisusque deis, si quem haec nova gloria segnem
 801 praeterit." Exisset stratis, ni provida signo
 802 Deidamia dato cunctas hortata sorores

803 liquisset mensas ipsum complexa. Sed haeret
 804 respiciens Ithacum coetuque novissimus exit.
 805 Ille quoque incepto paulum ex sermone remittit,
 806 pauca tamen jungens : "At tu tranquillus in alta
 807 pace mane carisque para conubia natis,
 808 quas tibi sidereis divarum voltibus aequas
 809 fors dedit. Ut me olim tacitum reverentia tangit !
 810 Is decor et formae species permixta virili."
 811 Occurrit genitor : "Quid si aut Bacchea ferentes
 812 orgia, Palladias aut circum videris aras ?
 813 Et dabimus, si forte novus cunctabitur auster."
 814 Excipiunt cupidi et tacitis spes addita votis.
 815 Cetera depositis Lycomedis regia curis
 816 tranquilla sub pace silet, sed longa sagaci
 817 nox Ithaco, lucemque cupit somnumque gravatur.
 818 Vixdum exorta dies et jam comitatus Agyrte
 819 Tydides aderat praedictaque dona ferebat.
 820 Nec minus egressae thalamo Scyreides ibant
 821 ostentare choros promissaque sacra verendis
 822 hospitibus. Nitet ante alias regina comesque
 823 Pelides : qualis Sicalae sub rupibus Aetnae
 824 Naidas Hennaes inter Diana feroxque
 825 Pallas et Elysii lucebat sponsa tyranni.
 826 Jamque movent gressus thiasisque Ismenia buxus
 827 signa dedit, quater aera Rheae, quater enthea pulsant
 828 terga manu variosque quater legere recursus.
 829 Tunc thyrsos pariterque levant pariterque reponunt
 830 multiplicantque gradum, modo quo Curetes in actu
 831 quoque pii Samothraces eunt, nunc obvia versae
 832 pectine Amazonio, modo quo citat orbe Lacaenas
 833 Delia plaudentesque suis intorquet Amyclis.
 834 Tunc vero, tunc praecipue manifestus Achilles
 835 nec servare vices nec bracchia jungere curat ;
 836 tunc molles gressus, tunc aspernatur amictus
 837 plus solito rumpitque choros et plurima turbat.
 838 Sic indignantem thyrsos acceptaque matris
 839 tympana jam tristes spectabant Penthea Thebae.
 840 Solvuntur laudata cohors repetuntque paterna
 841 limina, ubi in mediae jamdudum sedibus aulae
 842 munera virgineos visus tractura locarat
 843 Tydides, signum hospitii pretiumque laboris,
 844 hortaturque legant, nec rex placidissimus arcet.
 845 Heu simplex nimiumque rudis, qui callida dona
 846 Graiorumque dolos variumque ignoret Ulixen !
 847 Hic aliae, qua sexus iners naturaque ducit,
 848 aut teretes thyrsos aut respondentia temptant
 849 tympana gemmatis aut nectunt tempora limbis ;
 850 arma vident magnoque putant donata parenti.
 851 At ferus Aeacides, radiantem ut cominus orbem
 852 caelatum pugnas (saevis et forte rubebat
 853 bellorum maculis) adclinem conspicit hastae,
 854 infremuit torsitque genas, et fronte relicta
 855 surrexere comae ; nusquam mandata parentis,
 856 nusquam occultus amor, totoque in pectore Troja est.
 857 Ut leo, materno cum raptus ab ubere mores
 858 accepit pectique jubas hominemque vereri
 859 edidicit nullasque rapi nisi jussus in iras,
 860 si semel adverso radiavit lumine ferrum,

861 ejurata fides domitorque inimicus, in illum
862 prima fames timidoque pudet servisse magistro.
863 Ut vero accessit propius luxque aemula vultum
864 reddidit et simili talem se vidit in auro,
865 horruit erubuitque simul. Tunc acer Ulixes
866 admotus lateri summissa voce : "Quid haeres ?
867 Scimus", ait, "tu semiferi Chironis alumnus,
868 tu caeli pelagique nepos, te Dorica classis,
869 te tua suspensis exspectat Graecia signis,
870 ipsaque jam dubiis nutant tibi Pergama muris.
871 Heia, abrumpe moras ! Sine perfida palleat Ide,
872 et juvet haec audire patrem pudeatque dolosam
873 sic pro te timuisse Thetin." Jam pectus amictu
874 laxabat, cum grande tuba sic jussus Agyrtes
875 insonuit ; fugiunt disjectis undique donis
876 inplorantque patrem commotaque proelia credunt.
877 Illius intactae cecidere a pectore vestes,
878 jam clipeus breviorque manu consumitur hasta
879 mira fides) Ithacumque umeris excedere visus
880 Aetolumque ducem : tantum subita arma calorque
881 Martius horrenda confundit luce penates.
882 Inmanisque gradu, ceu protinus Hectora poscens,
883 stat medius trepidante domo, Peleaque virgo
884 quaeritur. Ast alia plangebant parte resectos
885 Deidamia dolos, cujus cum grandia primum
886 lamenta et notas accepit pectore voces,
887 haesit et occulto virtus infracta calore est.
888 Demittit clipeum regisque ad limina versus
889 attonitum factis inopinaque monstra paventem,
890 sicut erat, nudis Lycomedem adfatur in armis :
891 "Me tibi, care pater (dubium dimitte pavorem),
892 me dedit alma Thetis : te pridem tanta manebat
893 gloria ; quaesitum Danais tu mittis Achillen,
894 gratior et magno, si fas dixisse, parente
895 et dulci Chirone mihi. Sed corda parumper
896 huc adverte libens atque has bonus accipe voces :
897 Peleus te nato socerum et Thetis hospita jungunt
898 adlegantque suos utroque a sanguine divos.
899 Unam virgineo natarum ex agmine poscunt :
900 dasne ? An gens humilis tibi degeneresque videmur ?
901 Non renuis ? Junge ergo manus et concipe foedus
902 atque ignosce tuis. Tacito jam cognita furto
903 Deidamia mihi : quid enim his obstare lacertis ?
904 Qua potuit nostras possessa repellere vires ?
905 Me luere ista jube ; pono arma et reddo Pelasgis
906 et maneo. Quid triste fremis ? Quid lumina mutas ?
907 Jam socer es" (natum ante pedes prostravit et addit)
908 "jamque avus. Inmitis quotiens iterabitur ensis,
909 turba sumus." Tunc et Danai per sacra fidemque
910 hospitii blandisque precum compellit Ulixes.
911 Ille, etsi carae conperta injuria natae
912 et Thetidis mandata movent prodique videtur
913 depositum tam grande deae, tamen obvius ire
914 tot metuit fatis Argivaque bella morari ;
915 fac velit : ipsam illic matrem sprevisset Achilles.
916 Nec tamen abnuerit genero se jungere tali :
917 vincitur. Arcanis effert pudibunda tenebris
918 Deidamia gradum, veniae nec protinus amens

919 credit et opposito genitorem placat Achille.
 920 Mittitur Haemoniam, magnis qui Pelea factis
 921 impleat et classem comitesque in proelia poscat.
 922 Nec non et geminas regnator Scyrius alnos
 923 deducit genero viresque excusat Achivis.
 924 Tunc epulis consumpta dies, tandemque resectum
 925 foedus et intrepidus nox conscia jungit amantes.
 926 Illius ante oculos nova bella et Xanthus et Ide
 927 Argolicaeque rates, atque ipsas cogitat undas
 928 auroramque timet. Cara cervice mariti
 929 fusa novi lacrimas jam solvit et occupat artus :
 930 "Aspiciamne iterum meque hoc in pectore ponam,
 931 Aeacide ? Rursusque tuos dignabere partus,
 932 an tumidus Teucrosque lares et capta reportans
 933 Pergama virgineae noles meminisse latebrae ?
 934 Quid precer, heu ! timeamve prius ? Quidve anxia mandem,
 935 cui vix flere vacat ? Modo te nox una deditque
 936 inviditque mihi. Thalamis haec tempora nostris ?
 937 Hicne est liber hymen ? O dulcia furta dolique,
 938 o timor ! Abripitur miserae permissus Achilles.
 939 I (neque enim tantos ausim revocare paratus),
 940 i cautus, nec vana Thetin timuisse memento,
 941 i felix nosterque redi ! Nimis improba posco :
 942 jam te sperabunt lacrimis planctuque decorae
 943 Troades optabuntque tuis dare colla catenis
 944 et patriam pensare toris, aut ipsa placebit
 945 Tyndaris, incesta nimium laudata rapina.
 946 Ast egomet primae puerilis fabula culpae
 947 narrabor famulis aut dissimulata latebo.
 948 Quin age, duc comitem ; cur non ego Martia tecum
 949 signa feram ? Tu thyrsa manu Baccheaque mecum
 950 sacra, quod infelix non credit Troja, tulisti.
 951 Attamen hunc, quem maesta mihi solacia linqvis,
 952 hunc saltem sub corde tene et concede precanti
 953 hoc solum, pariat ne quid tibi barbara conjunx,
 954 ne qua det indignos Thetidi captiva nepotes."
 955 Talia dicentem non ipse inmotus Achilles
 956 solatur juratque fidem jurataque fletu
 957 spondet et ingentis famulas captumque reversus
 958 Ilion et Phrygiae promittit munera gazae.
 959 Inrita ventosae rapiebant verba procellae.

A2 v.1 Exuit implicitum tenebris umentibus orbem
 2 Oceano prolata dies, genitorque coruscae
 3 lucis adhuc hebetem vicina nocte levabat
 4 et nondum excusso rorantem lampada ponto.
 5 Et jam punicea nudatum pectora palla
 6 insignemque ipsis, quae prima invaserat, armis
 7 Aeaciden (quippe aura vocat cognataque suadent
 8 aequora) prospectant cuncti juvenemque ducemque
 9 nil ausi meminisse pavent ; sic omnia visu
 10 mutatus rediit, ceu numquam Scyria passus
 11 litora Peliacoque rates escendat ab antro.
 12 Tunc ex more deis (ita namque monebat Ulixes)
 13 aequoribusque austrisque litat fluctuque sub ipso

14 caeruleum regem tauro veneratur avumque
 15 Nerea : vittata genetrix placata juvenca.
 16 Hic spumante salo jaciens tumida exta profatur :
 17 "Paruimus, genetrix, quamquam haut toleranda juberis,
 18 paruimus nimium : bella ad Trojana ratesque
 19 Argolicas quaesitus eo." Sic orsus et alno
 20 insiluit penitusque Noto stridente propinquis
 21 abripitur terris : et jam ardua ducere nubes
 22 incipit et longo Scyros discedere ponto.
 23 Turre procul summa lacrimis comitata sororum
 24 commissumque tenens et habentem nomina Pyrrhum
 25 pendebat conjunx oculisque in carbasa fixis
 26 ibat et ipsa freto, et puppem jam sola videbat.
 27 Ille quoque obliquos dilecta ad moenia vultus
 28 declinat viduamque domum gemitusque relictæ
 29 cogitat : occultus sub corde renascitur ardor
 30 datque locum virtus. Sentit Laertius heros
 31 maerentem et placidis adgressus flectere dictis :
 32 "Tene", inquit, "magnæ vastator debite Trojæ,
 33 quem Danae classes, quem divum oracula poscunt,
 34 erectumque manet reserato in limine Bellum,
 35 callida femineo genetrix violavit amictu
 36 commisitque illis tam grandia furta latebris
 37 speravitque fidem ? Nimis o suspensa nimisque
 38 mater ! An hæc tacita virtus torperet in umbra,
 39 quæ vix audito litui clangore refugit
 40 et Thetin et comites et quos suppresserat ignes ?
 41 Nec nostrum est, quod in arma venis sequerisque precantes ;
 42 venisses" dixit ; quem talibus occupat heros
 43 Aeacius : "Longum resides exponere causas
 44 maternumque nefas ; hoc excusabitur ense
 45 Scyros et indecores, factorum crimina, cultus.
 46 Tu potius, dum lene fretum Zephyroque fruuntur
 47 carbasa, quæ Danais tanti primordia belli,
 48 ede : libet justas hinc sumere protinus iras."
 49 Hic Ithacus paulum repetito longius orsu :
 50 "Fertur in Hectorea, si talia credimus, Ida
 51 electus formæ certamina solvere pastor
 52 sollicitas tenuisse deas, nec torva Minervæ
 53 ora nec aetherii sociam rectoris amico
 54 lumine, sed solam nimium vidisse Dionen.
 55 Atque adeo lis illa tuis exorta sub antris
 56 concilio superum, dum Pelea dulce maritat
 57 Pelion, et nostris jam tunc promitteris armis.
 58 Ira quatit victas ; petit exitialia iudex
 59 præmia ; raptori faciles monstrantur Amyclæ.
 60 Ille Phrygas lucos, matris penetralia caedit
 61 turrigeræ veritasque solo procumbere pinus
 62 præcipitat terrasque freto delatus Achæas
 63 hospitis Atridae (pudet heu miseretque potentis
 64 Europæ !) spoliat thalamos, Helenaque superbus
 65 navigat et captos ad Pergama devehit Argos.
 66 Inde dato passim varias rumore per urbes,
 67 undique inexciti sibi quisque et sponte coimus
 68 ultores : quis enim illicitis genialia rumpi
 69 pacta dolis facilique trahi conubia raptu
 70 ceu pecus armentumve aut vilis messis acervos
 71 perferat ? Hæc etiam fortes jactura moveret.

72 Non tulit insidias divum imperiosus Agenor
73 mugitusque sacros et magno numine vectam
74 quaesiit Europen aspernatusque Tonantem est
75 ut generum ; raptam Scythico de litore prolem
76 non tulit Aeetes ferroque et classe secutus
77 semideos reges et ituram in sidera puppim.
78 Nos Phryga semivirum portus et litora circum
79 Argolica incesta volitantem puppe feremus ?
80 Usque adeo nusquam arma et equi, fretaque in via Graia ?
81 Quid si nunc aliquis patriis rapturus ab oris
82 Deidamian eat viduaeque e sede revellat
83 attonitam et magni clamantem nomen Achillis ? "
84 Illius ad capulum rediit manus ac simul ingens
85 inpulit ora rubor ; tacuit contentus Ulixes.
86 Excipit Oenides : "Quin, o dignissima caeli
87 progenies, ritusque tuos elementaque primae
88 indolis et, valida mox accedente juventa,
89 quae solitus laudum tibi semina pandere Chiron
90 virtutisque aditus, quas membra augere per artes,
91 quas animum, sociis multumque faventibus edis ?
92 Sit pretium longas penitus quaesisse per undas
93 Scyron et his primum me arma ostendisse lacertis."
94 Quem pigeat sua facta loqui ? Tamen ille modeste
95 incohat, ambiguus paulum propiorque coacto :
96 "Dicor et in teneris et adhuc reptantibus annis,
97 Thessalus ut rigido senior me monte recepit,
98 non ullos ex more cibos hausisse nec almis
99 uberibus satiasset famem, sed spissa leonum
100 viscera semianimis lupae traxisse medullas.
101 Haec mihi prima Ceres, haec laeti munera Bacchi,
102 sic dabat ille pater. Mox ire per in via secum
103 lustra gradu majore trahens visisque docebat
104 adridere feris nec fracta ruentibus undis
105 saxa nec ad vastae trepidare silentia silvae.
106 Jam tunc arma manu, jam tunc cervice pharetrae,
107 et ferri properatus amor durataque multo
108 sole geluque cutis ; tenero nec fluxa cubili
109 membra, sed ingenti saxum commune magistro.
110 Vix mihi bisenos annorum torserat orbem
111 vita rudis, volucris cum jam praevertere cervos
112 et Lapithas cogebat equos praemissaque cursu
113 tela sequi ; saepe ipse gradu me praepete Chiron,
114 dum velox aetas, campis admissus agebat
115 omnibus, exhaustumque vago per gramina passu
116 laudabat gaudens atque in sua terga levabat.
117 Saepe etiam primo fluvii torpore jubebat
118 ire supra glaciemque levi non frangere planta.
119 Hoc puerile decus. Quid nunc tibi proelia dicam
120 silvarum et saevo vacuos jam murmure saltus ?
121 Numquam ille inbelles Ossaea per avia dammas
122 sectari aut timidas passus me cuspide lyncas
123 sternere, sed tristes turbare cubilibus ursos
124 fulmineosque sues, et sicubi maxima tigris
125 aut seducta jugis fetae spelunca leaenae.
126 Ipse sedens vasto facta exspectabat in antro,
127 si sparsus nigro remearem sanguine ; nec me
128 ante nisi inspectis admisit ad oscula telis.
129 Jamque et ad ensiferos vicina pube tumultus

130 aptabar, nec me ulla feri Mavortis imago
131 praeteriit. Didici, quo Paeones arma rotatu,
132 quo Macetae sua gaesa citent, quo turbine contum
133 Sauromates falcemque Getes arcumque Gelonus
134 tenderet et flexae Balearicus actor habenae
135 quo suspensa trahens libraret vulnera tortu
136 inclusumque suo distingueret aera gyro.
137 Vix memorem cunctos, etsi bene gessimus, actus.
138 Nunc docet ingentes saltu me jungere fossas,
139 nunc caput aerii scandentem prendere montis,
140 quo fugitur per plana gradu, simulacraque pugnae
141 excipere inmissos curvato umbone molares
142 ardentisque intrare casas peditemque volantis
143 sistere quadrijugos. Memini, rapidissimus ibat
144 imbribus adsiduis pastus nivibusque solutis
145 Sperchios vivasque trabes et saxa ferebat,
146 cum me ille immissum, qua saevior impetus undae,
147 stare jubet contra tumidosque repellere fluctus,
148 quos vix ipse gradu totiens obstante tulisset.
149 Stabam equidem, sed me referebat concitus amnis
150 et latae caligo fugae ; ferus ille minari
151 desuper incumbens verbisque urgere pudorem.
152 Nec nisi jussus abi : sic me sublimis agebat
153 gloria, nec duri tanto sub teste labores.
154 Nam procul Oebalios in nubila condere discos
155 et liquidam nodare palen et spargere caestus,
156 ludus erat requiesque mihi ; nec major in istis
157 sudor, Apollineo quam fila sonantia plectro
158 cum quaterem priscosque virum mirarer honores.
159 Quin etiam sucos atque auxiliantia morbis
160 gramina, quo nimius staret medicamine sanguis,
161 quid faciat somnos, quid hiantia vulnera claudat,
162 quae ferro cohibenda lues, quae cederet herbis,
163 edocuit monitusque sacrae sub pectore fixit
164 justitiae, qua Peliacis dare jura verenda
165 gentibus atque suos solitus pacare biformes.
166 Hactenus annorum, comites, elementa meorum
167 et memini et meminisse juvat : scit cetera mater."